

## CAPVT VI.

*Quòd inter Iouem & Martem Pyramis.*

**N**A M cur Cubum excipiat Pyramis, nemo admodum mirabitur, cum 1. illa ferè de principatu aufit cum cubo contendere. 2. Insuper vel ipsa vel ὀμόλογα irregularia faciunt ad cæterorum compositionem. Nam Icosaedron componunt 20. Pyramides, paulò breuiiores Tetraedricis: Octaedrum octo adhuc breuiiores. Dodecaedron etsi quadrato occulto constat, tamen in pyramidas resolui necesse est. 3. Neq; contemnendum hoc, quòd Tetraedrum in quatuor perfectas pyramidas & vnum Octaedron laterum dimidio minorum resolui potest. 4. Sicut in planis omnia multangula in triangula resoluuntur, ita reliqua solida mensurandi causa in Pyramidas, quas deinde cubis, vt triangula quadratis, metimur. Est igitur reliquorum mensura, & omnium facilimè à cubo mensilis. 5. Hinc plaræque eius lineæ, vt & cubicæ tam facilè quantitatem ex ratione diagonij accipiunt, non tamen aliter quàm quadratis numeris. 6. pyramidis etiam regularitas ex solis lateribus pendet: cubi etiam ex angulis. Atque sic Pyramidum inter æquilatera non plus vnâ est, at in ἑξάεδρον, quamuis æqualibus lateribus, tamen infinita varietas est Angulorum. Quo nomine, si nullæ aliæ essent rationes, sitne præferenda cubo, an postponenda, in dubio relinquo.

7. Hanc naturæ solertiam imitati homines primùm materiam ad perpendicularum erigunt, reëtis quæ angulis contignant, deinde triangulis firmant & stabiliunt.

8. Insuper acutum angulum cum habeat pyramis, prior est obtusangulis. Nam id semper primum est in ordine, quòd iustam habet quantitatem: hoc sequi videtur minus iusto, quia & longiùs abesse videtur ab infinitate, quàm plus iusto, & simplicius etiam est. Nam obtusangulum videtur quodammodo multiplex ex recto & acuto. Quo minus mirandum, cur paucitas angulorum in basi, & ipsarum etiam basium non deroget cubo. Nam angulorum & basium numerus ad susceptam anguli speciem necessariò sequitur. Vnde si rectus prior est acuto, prius etiam ἑξάεδρον, quam Tetraedron,

edron,